



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Contra illos, qui se de Bonis Clericorum, sive in vita sive in morte,  
intromittunt. 7

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

terdictus, nisi medio tempore fuerit satisfactum. Prædones autem, raptores & inuales hujusmodi, & eorum receptatores ac adjuutores, nec non & prædarum emptores, per Ordinarium moneantur nominatim, si eorum nomina sciri poterunt, alioqui in genere, ut, intra triduum post monitionem, ipsam prædam, spoliū vel rapinam restituant, & condigne satisfaciant: alioqui, tanquam sacrilegi, sententiam excommunicationis, quam nunc ferimus in his scriptis, ex tunc incurrant ipso facto, & excommunicati per locorum Ordinarios & eorum Plebanos nuncientur. In qua Excommunicatione si, satisfactione neglecta, duraverint per quindenam, ex tunc per omnes Ecclesias Conventuales & Parochiales Decanatus illius in quo rapina committitur, & ubi ipsi sacrilegi domicilium habent, vel etiam (si opus fuerit) Civitatis & aliorum locorum campanis pulsatis & candelis extinctis, usque ad satisfactionem condignam nuncientur excommunicati singulis diebus Dominicis & Festivis. Quod si per dimidium annum in Excommunicatione contumaciter persistierint, ex tunc subiaceant pœnis, expressis superius contra eos qui manus in Clericos injiciunt violentas: & secundum hoc, ut ibi diximus, procedatur.

Cap. I.

V. *Contra detentores seu subtractores decimarum.*

Decima ad quid instituta.

Item, cum sacrilegi censeantur, qui injuriose subtrahunt vel auferunt tributa egentium animarum, videlicet Decimas, ad hoc à Domino instituta ut sint cibus in domo Dei, & eas Ecclesiis, quibus debentur, non persolvunt, surreptores multorum Bonorum, quæ ex justa solutione Decimarum solent, Domino largiente, omnibus evenire, & incitatores sterilitatis, pestilentiae, tempestatis, & aliorum malorum, quæ frequenter eveniunt ex subtractione earundem: Statuimus, ut hujusmodi sacrilegi, ac detentores & raptores decimarum tam Novallium quam aliarum, (quos Nos in his scriptis excommunicamus) per omnes Ecclesias Parochiales Nostræ Civitatis & Diocesis, per totum circulum cujuslibet anni, quolibet mense, uno die Dominico vel Festivo, campanis pulsatis & candelis extinctis, excommunicati publice & \* districtè per rectores Ecclesiarum nuncientur, & nihilominus ad ulteriora procedatur per loci Ordinarium, si visum fuerit expedire.

Decima in novallis.

\* distinctè per Proviosores Ecclesiarum

Curtis, pro choræ.

VI. *Contra Nobiles, in expeditionibus damna personis Ecclesiasticis, in Curtibus earum, inferentes.*

Grangiis, id est, finibus, seu terminis à voce Testonica

Statuimus item, quod, quicumque Nobiles vel alii, ad prælia vel ad alias Expeditiones processuri, jacuerint in Grangiis, Curtibus seu Possessionibus vel Bonis Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum Personarum, vel Monachorum

cujuscunque Ordinis, aut fecerint ibidem damna vel rapinas, nisi intra mensem post monitionem, à Capitulo, & Prioribus Colonienfibus, qui præsentibus fuerint, faciendam, de damnis, rapinis & injuriis irrogatis, satisfaciant lassis & damnum passis, ipso facto sint excommunicati excommunicatione, quam in ipsos ferimus in his scriptis: & excommunicati publice usque ad satisfactionem condignam, ubi & quando expedire videbitur, nuncientur; & ulterius crescente contumacia, contra eos procedatur, sicut contra Bonorum Ecclesiarum inuales superius est expressum.

Grenzen (ut videtur) finitum.

VII. *Contra illos, qui se de Bonis Clericorum, sive in vita sive in morte, intromittunt.*

Statuimus item, ut nullus Laicus, cujuscunque dignitatis vel conditionis existat, de Bonis Clericorum, sive in vita sive in morte, se intromittat: sed quilibet Clericus de Bonis suis, sicut in vita ita & in morte, testamentum suum faciendi, & de rebus suis disponendi per se vel per alios quibus hoc commiserit, liberam habeat facultatem. Et illos, qui contra hoc statutum de Bonis & rebus Clericorum decedentium, ausu sacrilego se ingesserint, nisi sint ipsorum Clericorum manifideles, seu ultimorum Executores voluntatum, ex nunc sententia Excommunicationis innodamus. Et per locorum Ordinarios, præcipimus, excommunicatos publice nunciari, donec ablata restituerint, & aliàs satisfecerint competenter. In qua excommunicatione si per mensem persistierint, ex tunc contra eos, tanquam inuales Bonorum Ecclesiarum, procedatur.

VIII. *Vt Bona Clericorum transeant sine telonio libera & absoluta.*

Statuimus etiam, ut Bona Ecclesiarum & Ecclesiasticarum Personarum Civitatis & Diocesis Colonienfis, sint & maneat in omni loco, tam in Civitate quam extra, & transeant, tam in Terris quam in Aquis, absque telonio & qualibet exactione, & sine omni impedimento, libera & penitus absoluta. Si qui vero contra hoc venire præsumperint, contra ipsos, tanquam contra inuales & raptores Bonorum Ecclesiarum, de quibus supradictum est, procedatur.

IX. *Ne Clerici vel Religiosi trahantur ad iudicium seculare.*

Item, cum Clerici vel Religiosi coram iudicio seculari non debeant in causam trahi, suo vel Ecclesiæ vel alicujus alterius nomine, nec à Laicis contra eos sententia dictari; hoc fieri, sub interminatione Excommunicationis (quam